DE VERMIBUS LOMBRICOIDIBUS PER VENTRICULI INTESTINORUMQUE TUNICAS...

Antonio Ricci

DE

VERMIBUS LOMBRICOIDIBUS

PER

VENTRICULI INTESTINORUMQUE TUNICAS EFFRACTORIBUS

ATQUE

IN C. R. INSTITUTO CLINICO-MEDICO PATAVINO

OBSERVATIS

DISQUISITIO ACADEMICA

QUAM

AD MEDICINAE ET CHIRURGIAE LAUREAM

IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

RITE ADSEQUENDAM

DIE MENSIS AUGUSTI A. MDCCCXXIV.

UNA CUM ADNEXIS THESIBUS

PUBLICE DEFENDIT

ANTONIUS RICCI

EX CAPODIPONTE IN DICTIONE BERGOMENSI

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXIV.

552

VIRO PERILLUSTRI

AC EQ. PRAECLARISSIMO

VALERIANO ALOYSIO BRERA

PHILOSOPHIAE, MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI,
SACRAE CAES. REGIAE APOSTOLICAE MAJEST.
A CONSILIIS GUBER.
IN CAES.-REGIO ARCHIGYMNASIO PATAVINO
THERAPIAE SPECIALIS, PRAXEOS CLINICAE PROFESSORI P. O.
ATQUE
PATHOLOGIAE AC MEDICINAE FORENSIS PROFESSORI EMERITO
ARCHIGYMNASII BONONIENSIS,
SOCIETATIS ITALICAE SCIENTIARUM MUTINAE, FLOR. XLVIR
CAESAREO-REGII INSTITUTI ITALICI SODALI EC.

RICCI ANTONIUS O. D.

Exiguo huic labori vix dum meam navare operam sum aggressus, Tuis protinus illum auspiciis adumbrare tutamineque fulcire mentem subiit cogitatio. Duplex etenim ad hoc me suasit et impulit ratio. In primis scilicet ut studium meum gratumque in Te animum aliquo pacto ostenderem, et aestimationem, qua Te, uniuscujusque liberalis disciplinae incrementum, jugiter sum prosequutus, profiterer; praeterea meo decori laudique prospiciens id, inclyte Vir, facere autumavi, propterea quia hanc nullo meliori expeditiorique modo mihi comparandam censui, quam praeclaro Tuo nomine tenellum hocce opus honestando: nam tale pro-

fecto illud existit, ut quibus etiam alienis libris haeret impressum, illos valdopero immortalitati commendare potis sit. Quod suscepi, prout vires sufficient, pertractandum argumentum, idemmet illud est, quod peracri Tuo ingenio ad utiliores veritates elucubrandas toties stravit iter; quamobrem analyticarum investigationum ope, et naturalis philosophiae scientia tam excelsum laus tua tetigit fastigium, ut illam jure ac merito per Ausoniae urbes undequaque circumvolitare videre sit, Alpibusque superatis, trajectoque quovis, etsi Syrtibus Charybdibusque referto, aequore, incolumis et integra gloria tua peregrinarum gentium aestimationem et scientifica altaria sibi promeruerit.

Si in aliquam, perexímie a Consiliis Vir, ideam cogitationemque forte offendas, quam in Tuum conspectum venire non indignam existimabis, quod olim studiosus quidam effatus est, lubenter dicere sat mihi erit, qui primos sui ingenii nisus ad perillustrem in anatomes virum et philosophum Winslowium praeceptorem suum dono mittens, sequentia sui grati animi verba tantum exprompsit, nempe: Haec tua sunt.

Hoc desiderii aestimationisque meae in Te pignus, ut laeto animo, precor, excipias, nec me inter asseclas famulosque Tuos unquam recensere desinas.

Quum tubus gastro-entericus verminationi sit obnoxius, contingit etiam ut a vermibus ipsis perterebretur, quod sane novum non est; id enim disputandi argumento fuit non paucis rerum medicarum scriptoribus insignibus. Quemadmodum vero peritus indagatoris oculus phaenomenon quodlibet contemplari non desinit, nisi prius intimam ejus naturam investigando deprehenderit, sic etiam inquisitum acriter fuit quomodo hoc efformari posset, utrum in corpore vivo aut mortuo, an ab actione propria vermium, seu digestionis opere, quae ob succos gastricos gignitur in ventriculo.

Inconcussis ego innixus argumentis, et factis in monumentis medicinae relatis, brevi exponam, fieri posse terebrationem in tubo gastro-enterico tum corpore vivo, tum mortuo, et actione propria peculiari in ipso verme insita, judicium refellens Brumserii, et experimenta Rudolphi, qui opinantur, vermes morari in nostro organismo tamquam hospites insontes, et carere plane nocuis instrumentis. Duos casus denique addam recentissimos, qui-

bus eo validius veritas meae sententiae confirmabitur.

Si ex actione succi gastrici, ac digestionis tantummodo ejusmodi phaenomenon penderet, petere in primis mihi fas sit quo in loco tum unus quum altera efficiantur? In ventriculo? Si in hoc viscere dumtaxat exitus vermium eveniret, dubitari quodammodo posset, quod erosio ejus membranarum ab his menstruis oboriretur, potius quam a vermium actione; sed sicuti hoc contingit etiam in toto tubo intestinali, ergo nec succis, nec digestioni erit perforatio tribuenda.

Inter varia genera vermium, qui in animalium corporibus morantur ascaris lumbricoides facultate pollet erodendi membranas tubi gastro-enterici, nec non perforandi. Et juxta multorum observationes, ceteri vermes comperti sunt intus per tunicam villosam serpentes, vel simul coacervati in ipsa celluli: si ergo a vermium actione nullo modo penderet eorum transitus in abdomen, cur idipsum in omnibus non contingit? si haec potestas lumbricoidi soli tributa fuit, affirmare opus est, ipsum majori efficacia praeditum esse, quam ceteri; hinc fit, ut eo progredi possit, quo alii nequeunt, et tantummodo vi sua peculiari.

Aliunde quum plures vermes non raro in ipsomet loco inter se propinqui maxime sint, si ex alia causa oborta esset terebratio, consentaneum vi-

detur quod omnes per institutum foramen exirent; sed constanter observatum fuit, nunquam duos vermes per unum foramen transiisse, sed singulos per proprium, et amplitudinem uniuscujusque foraminis respondere volumini vermis; patet igitur, quod insignis est huic vermi vis, et quasi voluptas intestinorum provincias hostiliter devastandi, improbitatem indolis suae ubicumque proferendo, quidquid in nos blaterent infestissimi hujusce hospitis defensores. Quorum tamen argumenta universa quum non experimentorum diligentia suffulta, nec recentiorum observationibus sancita sint, tamquam vetusta aedificia corruere debent ac labefactari, ut inde ex eorum ruinis novae erigantur quasi moles doctrinarum, unde lumbricoidum proprietates ac natura luculentius elucescant.

Secto cadavere saepissime haec foramina animadversa sunt duritie, et zona circumdata. Non paucae observationes inveniuntur apud Gualtierium de Claubry in *Nouveau journal de medécine, chirurgie, pharmacie* etc. de lacerationibus ventriculi a lumbricis productis, qui in cavitatem abdominis se contulerunt, et extremitates foraminum, per quae transiere, saepe repertae sunt suppuratae et gangraenosae. Nonne haec est ratio luculenta, qua probari potest, terebrationem institui quoque corpore vivo? Et re quidem vera quomodo id eveniret, nisi vermis actione sua irritante huic phae-

nomeno ansam praeberet? et quid aliud est, nisi vis vitalis, quae ab actione vermis excitata phlogosim gignit?

Dolores denique immanes, quos plerumque persentiunt aegrotantes miserrimi, qui hocce morbo affecti sunt morti propinqui, convulsiones, trismus et tetanus, nec non manus, quam nonnunquam fixam tenent in loco perterebrato, quam validum argumentum mihi suppeditent, ut magis magisque in sententia mea permaneam, nemo mehercule non videt. Si haec phaenomena in hisce aegritudinibus fere semper observantur, quomodo actio horum vermium effractoria in dubium erit revocanda? vel quomodo potuit affirmare Bremser, vermes non posse nec lacerare, nec perfodere tubum intestinalem, vel quemcumque alium textum organicum, quaestionibus adhaerens sui collegae Rudolphi, qui sibi arbitratur, satis superque explicasse, vermes carere organis ad terebrandam substantiam organicorum textuum necessariis?

Quot autem non sunt observationes summorum virorum, qui hoc argumentum strenue suffulciunt? Inopportunum non esse mihi videtur nonnullas hic referre, quae magis magisque antecallata explanent experimenta.

In Nosologia methodica Sauvages legitur observatio cardialgiae, quae multis necem attulit; in quorum cadaveribus comperti sunt lumbricoides,

qui adeo membranis stomachi adhaerebant, ut eas etiam terebrassent.

Historiae naturalis Cultoribus satis superque notum est, vermes, vel vermium rudimenta (1) una cum sanguine, lympha, ceterisque humoribus posse per muscolos transgredi, cutim, et cerebrum, idque perturbare et evertere, angores afferendo, cruciatus, exitium denique aegrotanti miserrime. Vater, Heister Kniphos, Blancard, Bigort, Hauteslerk, m' Luggen, Schulze etc. suis accuratis investigationibus veritatem comprobarunt potestatis effractoriae horum ascaridum.

In Archigymnasii ticinensis eoculare anathomes comparatae stomachus servatur coracis torosus, et durus a sex vermibus terebratus (2).

Scriptor denique nullus adest pathologiae, qui de hoc non pertractaverit, nullum fere opus medicis experimentis dicatum, quod hoc non commemoret, et nemo practicorum, qui id in dubium vocet. Ipsemet Bremzer dum uno loco argumentum refellit, alio autem, quae negaverat inconsultus sibique parum aequalis fatetur: nam pagina

(1) Brera, Lezioni Medico-Pratiche sopra i principali vermi del corpo umano ec. Crema 1802, 4.° — Lezione seconda. Memorie Fisico-Mediche sopra i principali vermi del corpo umano vivente ec. Crema 1811, 4.° — Memoria seconda.

(2) Vedi Brera, Memorie cit. ec. Tav. IV, fig. 4.

centesima decima sexta sui operis, se narrat perpendisse ciprinum auratum in undis Schönbrun captum, in quo echinovinchius clavaeceps Rudolphi (vermis quoque visceralis) non modo parietem intestinalem perforaverat, sed per textum quidem muscularem, et cutem abdominis trangressus erat.

Clarissimus autem a Consiliis, et Professor spectatissimus Brera quum in ceteris medicinae partibus, tum in hac quoque exquisitam, et prope novam ingenii sagacitatem ostendens in eruditissimis suis vermium tractatibus solertissimam offert ipsorum descriptionem (1).

Ad confirmandam tandem meam sententiam addam hic, uti pollicitus sum, exemplum ab illustri Hallero allatum, duo, triave aliorum, duo demum in Clinico nostro Instituto observata anno academico nuper elapso.

Juvenis quidam annos duo de triginta natus, temperamento sano, et corpore robusto donatus, nullam curans diaetam, et fructus sine discrimine vorans magna copia, dum exaestuaret aeri frigido temere se exponens, tumore correptus fuit ad regionem inguinis dexteri, qui ei impediit motum artus. Hic tumor pro hernia curatus in dies increvit. Vocato Hallero non herniam, sed absces-

(1) Op. cit. Horum Tractatuum simul conjunctorum editionem novam tradet anno proximo egreg. Auctor.

sum deprehendit, et aptis remediis illi medicatus est: post binos dies suppuravit, et ingentem quantitatem effudit materiae purulentae; aliis vero diebus elapsis lumbrici, longitudine fere cubiti ex abscessu subsequuti sunt, et alimenta paulo ante assumpta cruda partim et semicocta. Post tres hebdomadas pristinae incolumitati restitutus fuit.

Joannes L. Fischer Lipsiae excisit cadaver vetulae, quae per novem dies ab omni cibo, ac potu abstinuerat, et decimo tandem diem obierat supremum. Adaperto abdomine, lumbricos prominentes invenit ex intestino caeco perforato ad dimidiam sui corporis partem. Remotis intestinis tenuibus alium nactus est in cavitate pelvis delapsum. Ille Auctor opinatus est, vermes terebrasse intestinum in extremis Vetulae illius vitae momentis propter alimentorum inopiam; nam non solum pars vulnerata, sed etiam propinquae erant inflammatae.

D. Christianus Gottlieb Ludwig Professor therapiae in academia Lipsiensi, quum aperuisset cadaver feminae undeviginti annorum, quae chachexia, et tabe consumpta perierat, invenit prope lienem lumbricum vivum se moventem, qui ab intestino jejuno exierat per foramen rotundum ab ipso lumbrico insitutum. Nulla tamen phlogosis in intestino invenit indicis, quam dicit jure meritoque evenire debuisse in laesione continui, si

illa in vivo corpore successisset. Dissectis intestinis, et exemptis reliquis lumbricis vivis intus conclusis invenit multas erosiones in superficiae tunicae villosae, quibus illa eo modo abrasa erat, quo tineae villosam pannorum laneorum superficiem perreptando dilacerant, et inter hoc foramen, per quod lumbricus in infimo ventre deprehensus exitum molitus erat. Hinc conjicere mihi fas sit quod vermis qui intestinum perterebravemt esset Asc. lumbr. Alii . . . .

Mulier annum vigesimum sextum actatis suae peragens, conditione villica, gracili corporis compage, Clinicum Institutum medicum petiit idibus januariis anno millesimo octingentesimo decimoquarto. Ex phaenomenorum complexu praeclarissimus Professor Brera agi decrevit de peritonitide gravi metutidi subsequuta; quare methodo deprimenti eam subjecit. Jussit celebrari decies sanguinis emissiones, sex generales, quatuor locales, nec praescriptiones omissae sunt in morbi curriculo antiphlogisticae, et demulcentes. Omnia incassum, nam die nona curationis symptomata ingravescebant; siquidem dolor accusabatur, et duritiea persentiebatur, quae scirrhositatem simulabat in ima regione dextera abdominis; qua de re institutae fuere frictiones mercuriales. Emaciatio, stupor, sensuum amissio, sudor denique colliquativus in medium prodiere, ac secundo kal. febr.,

die videlicet decimaquinta curae, fato miserrima cessit.

Dissecto cadavere, vestigia inventa sunt inflammationis in meningibus, cerebro et pectore. Secato abdomine peritonaeum se obtulit miliaribus tuberculis fere totum opertum, sic quoque externa superficies viscerum abdominalium. Facies interna peritonaei visceribus adhaerebat interclusis, ovaria magnopere indurata, tuba falloppiana dextera fere scirrhosa. Intestinum colon descendens ab ascaride lumbricoide perterebratum, qui magna ex parte extra ejusdem intestini cavitatem se protrahebat: partes vero, foramini ab ascaride instituto propinquae, erant nonnihil corrosae, sic quoque aderat zona rubra nec non duriuscula.

A. R. Vicetinus medicis studiis hoc ipso in Archigymnasio addictus, et in ea strenue ac gloriose incumbens, quum annum tertium supra vigesimum ageret, mero, et spirituosis nimium fortasse abusus, crapulae deditus, carnem incoctam vorare non horrens, salivatione profusa diu laboravit; qua suppressa eam ceperunt tremor artuum, cibi fastidium, hypocondria, debilitas, ariditas oris, tracheae et laringis. In Clinico Instituto medico acceptus varias sumpsit medelas, sed nullo eventu; nam in nocte diei sextae, et extremae curationis vmuitus apparuit materiei biliosae, viridis, purulentae, mane vero tremitus totius corporis

praegrandis, dolores abdominales intensi, ariditas faucium aucta, facultas loquendi deleta, oculi immobiles: tandemque vitam cum morte commutavit. Ut omittam quod, secto cadavere, in aliis aderat vitiosi cavitatibus, etenim ad nostrum minime spectant argumentum, dicam quod in abdomine tantum inventum fuit. Serum purulentum, graveolens magna in parte cavitate abdominis potiebatur, tubus intestinalis offerebat hinc illinc inflammationis indicia, et in area majori ventriculi prope lienem deprehensus fuit ascaris lumbricoides, qui magna ex parte prominebat. Quaestio posset insurgere, utrum ille ascaris vivo corpore ventriculum perterebrasset; atque ego affirmare id non possum, etenim partis vulneratae nulla animadversio facta fuit; sed symptomata terrifica, quae mortem infelicis praecesserunt me in suspicionem adducunt, id revera evenisse corpore vivo.

Haec habui, quae de vermibus intestina perterebrantibus breviter simpliciterque exponerem; quae, qualia tandem cumque fuerint, Vos, Professores Spectatissimi, quaeso, pro humanitate vestra aequi bonique facite.

THESES

I. In Medicina clinica rite exercenda genuinae sunt inquirendae indicationes, et minime vero remedia excogitanda.

II. Felices morborum exitus non semper medicamentorum in usum deductorum selectum comprobant.

III. Deprimentia-debilitantia remedia non raro meliora componunt antispasmodicis.

IV. Non raro etiam venae sectio princeps est diureticum.